Boeler . De Civitate Sine Suffragio et
Municipio Romanorum -1866

DE
CIVITATE SINE SUFFRAGIO
ET
MUNICIPIO ROMANORUM.

SCRIPSIT

M. ZOELLER,
philos. Dr.

Dissertatio inauguralis ad legendi facultatem rite impetrandam scripta.

HEIDELBERGAE.
SUMTUS FECIT JULIUS GROOS.
MDCCCLXVI.

Pars I.

De civitate sine suffragio.

Caput I.

De natura fontium.

Omnes philologi et juris Romani interpretes, qui in statu rerum veteris Italiæ explicando versati sunt, quum populorum, qui a Romanis aut subacti aut in fœderis aequi societatem accepti erant, condiciones altius repeterent et ad ipsa earum principia revocarent, imprimis quæstionem de municipio dignam habuerunt, in qua elaborarent. Quorum nemo ejus quæstionis illustrandæ operam navavit, quin aut injuriam temporis, tot literarum Romanarum et Græcarum monumentis amissis, aut scriptorum, qui nobis auctores sunt, in illis rebus enarrandis negligentiam et inconstantiam aut recentiorum quoque errores vehementer incusaverit. Et jure quidem, quum omnes, qui inde a Manutio et Sigonio antiquitates Romanas tractaverant, illis præcipue incommodis impediti sint, quominus aliquid in hac materia proficerent. Sed quum Niebuhrii exemplo excitati nostrates liberiore animo de antiquis rebus Romanis quærere conarentur quumque viri doctissimi acutissimique de veteribus municipiis scripsissent, factum est, ut viam ad eam quæstionem denuo tractandam optime munitam habeamus.[1]) Attamen et ii, qui nuperrime ad eam quæstionem accesserunt, eam adhuc admodum obscuram esse jure concedunt,[2]) et nobis quoque multa esse videntur, cur de ea maximopere laboremus. Nam eorum, qui in statu municipiorum

1) Propterea haud scio an non quidam ex iis, qui nuperrime de jure gentium Romanorum magnum opus confecit (dico Voigtii Lipsiensis opus quod inscriptum est: Das Jus naturale aequum et bonum und Jus gentium der Römer, Leipzig 1856, I. vol. 1858, II. vol.), recte judicaverit, quum ita dicit, Kienium et Marquardtium in ea quaestione eundem fere tenere locum, quo Sigonius et Trekellus eam reliquissent.

2) Rein, Jahrbücher für Philologie und Pädagogik 1860.

cognoscendo operam collocaverunt, alteri, Dionysii auctoritate perducti, quum omnia Romana a Græcis Græcorumque institutis repetenda esse, tum hoc de quo nunc agitur institutum ab illis originem duxisse arbitrabantur, alteri autem omnes auctorum nostrorum locos ita interpretabantur, quasi verba ab iis usurpata jam propria illorum temporum, de quibus agitur, vocabula fuissent.

Atque inter eos auctores, qui civitatis donatæ exempla afferunt, praeter Vellejum Paterculum imprimis Dionysius et Livius digni sunt qui commemorentur, quorum Dionysius „juris veteris et institutorum incertas et parum accuratas notiones comprehendit et aut fere generalibus tantum nominibus significavit (quale est τῶν ὑπηκόων) aut ad has res significandas Graecis appellationibus usus est neque diligentissime dilectis neque constanter servatis.“ [3]) Earum autem Graecarum appellationum nulla majores huic quaestioni tenebras offudit quam illud „ἰσοπολιτεία,“ quod et Graecum institutum significat, et, ut infra demonstrabimus, civitatis Romanæ naturæ prorsus repugnat. Haec perversa Dionysii opinio, cum Niebuhrio aliisque viris doctissimis probata esset, diu viguit. Sed quum Madvigius municipium Romanum minime a Graecorum isopolitia originem traxisse claris atque illustribus rationibus ostendisset, illam video jacere et ab omnibus fere viris doctis esse derelictam. Dionysii igitur auctoritas in his rebus quam exigua sit videmus, quamquam hujus scriptoris de aliis rerum Romanarum partibus merita libenter agnoscimus. Livius autem etsi non minus quam ille omne studium ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam contulit, tamen certo cuidam usui verborum, ut Romanus, magis erat assuetus: sed et multa ex suæ ætatis notionibus ad antiquitatem traduxit et eas res, quas nobis explorandas sumsimus, notis illis vocabulis, velut „civitas data est“ sive „civitas sine suffragio data est“, tantum adumbrat. Itaque Livius fons est, a quo illud „civitas sine suffragio“ manavit, quod quum ab omnibus viris doctis proprio sensu et ex posteriorum temporum usu intellectum ad priorum temporum res admitteretur, magis etiam quam illud „ἰσοπολιτεία“ huic quæstioni nocuit. Nam omnes, qui de antiquis rebus Romanis scripserunt, cum eam appellationem jam illis temporibus tribuerent, quibus res, ad quas pertinet, ejusmodi erant, ut tam generalibus appellationibus significari non possent, tum jura, quibus jus civitatis continetur, omnia fere eodem tempore, non paullatim et singillatim populis peregrinis a Romanis attributa esse putabant. Sed apud ipsum Livium

3) Vid. Madvig. Opuscula academica pag. 223. Not.

et Dionysium multa vestigia sunt, quibus res populorum subditorum et civitate, ut dicunt, donatorum longe alias fuisse probari possit atque illis appellationibus in errorem inducti viri doctissimi adhuc crediderunt. Ex quo intelligitur, Livium et Dionysium sæpius sibi non constare, id quod partim ex eo ducitur, quod ipsi, ut jam demonstravimus, ab erroribus quibusdam opinionibusque præjudicatis profecti sunt, partim ex eo, quod etiam illorum fontibus vel ambigua, vel contraria, vel tam exigua continebantur, ut hæ res etiam ipsis summa essent obscuritate involutæ. Quæ quia ipsa per se satis aperta res est, uno mihi tantum confirmanda videtur exemplo. Nam intelligitur ex nota Servilii quæ adjecta est loco illi Festi s. v. municips, si recte conjecit Kienius, [4]) temporibus quibus floruit Verrius Flaccus, cujus ex libro Festum sua sumsisse verisimile est, varias de municipibus fuisse sententias, et quod gravissimum est, utrum cives Romani solum an etiam peregrini fuissent municipes, imprimis magnam inter juris interpretes fuisse dissensionem. Cujus rei si causam quærimus, dubium esse non potest, quin nonnisi ab exiguitate et discrepantia fontium, quibus illi utebantur, controversia illa nasci potuerit. Ex quo satis intelligi potest, maximam fuisse definitionum, quas illi jurisconsulti posteris tradiderunt, varietatem et inde etiam rerum scriptores, quibus auctoribus utimur, de priorum rerum statu in summa dubitatione fuisse patet. Nam superiorum temporum condiciones omnino ejusmodi erant, ut copiosiorem narrationem desiderarent neque paucis definitionum illarum verbis et brevi veterum annalium oratione explicari possent. Maximam vero antiquissimorum fontium discrepantiam fuisse, etiam inde conjici potest, quod Livius et Vellejus Paterculus, quorum utrumque civitatis donatæ exempla nobis tradidisse supra commemoravimus, de tempore, quo nonnullæ urbes peregrinæ in civitatem Romanam ascriptæ sint, ita differunt, ut Niebuhrius ad suspitionem adducatur, Vellejum in toto illo ejus libri capite (I, 14), in quo illius rei exempla afferuntur, tabulam prorsus falsam esse secutum. [5])

Ex his omnibus consequens hoc esse volumus, ut, quia rerum, de quibus disputatio est, ea erat ratio ac natura, ut neque in brevis orationis veterum annalium neque in præcisæ definitionis jurisconsultorum angustias concludi possent, etiam e singulis qui utrisque nitebantur locis nullum certum testimonium peti posse intelligatur. In universum igitur ex fontibus, singulis locis junctis

4) In commentatione quæ inscripta est: Die römischen Municipien in den Zeiten der Republik in Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1849, Nro. 30.
5) cfr. Niebuhrii Hist. Rom. vol. III, p. 166.

et inter se comparatis, illarum rerum natura, a posteriorum temporum notionibus nominibusque segregata, cognoscenda est. In hoc autem viros doctissimos, qui se huic studiorum generi dederunt, omnes peccasse video. Nam cum res ad verba semper adjungerent, videbant sane maximam sæpe singulorum locorum discrepantiam, atque quum ab aliis alii loci aut defenderentur aut reprobarentur, factum est, ut de singulis rebus summa dissensione ac varietate sententiarum certaretur. Maxima vero disputatio erat de natura civitatis sine suffragio, quæ, nisi prorsus a verbo recedatur, explicari nullo modo potest. Cohæret autem illius civitatis sine suffragio natura cum notione civitatis Romanæ in universum, quæ qualis fuerit, primum est videndum.

Caput II.

De notione ac nomine civis.

Nunc summatim exponamus, qualem jurisconsulti Romani civem descripserint, ut et veram notionem civis Romani et naturam illius generis hominum, qui cives sine suffragio vulgo appellantur, perspicere possimus.

Firma ac certa notio civitatis eo demum, credo, tempore nasci potuit, quo viri in jure prudentes et de omni jure et de jure civitatis commentari incipiebant, quod non factum esse videmus ante seculum VI[tum] U. C. quapropter superioribus temporibus civitatis nullam fuisse fixam notionem existimo. Nam quum illis temporibus civis proprie dictus Quiris, peregrinus autem, qui in sua civitate in pari juris societate erat, nonnisi suæ urbis nomine, sive Neapolitanus, sive Cumanus, sive Heraclienses, et qui sunt reliqui, a Romanis appellaretur, eo tempore, quo jurisconsulti de eorum hominum condicionibus rationibusque, quæ iis et cum Romanis et cum suis popularibus intercederent, quærere cœperunt, viderunt etiam illis aliquid esse, quod societatem inter ipsos constitueret idque omnium gentium ac populorum esse commune, esse autem hoc suam cujusque populi civitatem. Sic autem factum est, ut omnino notio civitatis oreretur, [6]) et quum priori tempore nomen „Quiris“ nonnisi civem Romanum significet nomen „civis“ generalis appellatio est, qua non solum civis Romanus sed civis in

6) cfr. Voigt. Ueber das jus naturale etc. II, pag. 29.

universum comprehenditur. [7]) Notio autem civis a notione Quiritis non eo tantum differt, quod hæc civem solum Romanum, illa civem in universum amplectitur, sed etiam eo, quod notio civis etiam Romani latius extenditur quam notio Quiritis. Nam quum posterioribus illis temporibus multi in territorio Romano viverent, qui, quamquam non omnia jura Quiritium usurpaverant, jus tamen quoddam privatum possidebant, etiam illi cives et habebantur et nominabantur. Hæc est igitur illa civitas, quam Cicero in universum juris societatem definit. vid. Cic. de rep. 1, 32. „Quid est enim civitas nisi juris societas?“ [8]) Hujus autem civitatis natura ferebat, ut ii, qui in hac societate erant, aliam juris societatem inire non possent, ita ut neque Romano duarum civitatum civem esse [9]) neque peregrinis suo jure in territorio Romano vivere liceret. Propterea neque Romani alius civitatis poterant esse ἰσοπολῖται neque peregrinis civitatis Romanæ ἰσοπολίτας esse concessum erat, totumque est hoc institutum, ut apparet, a civitatis Romanæ natura prorsus alienum. Eadem de causa Latini et reliqui fœderati non sunt cives, neque cives sine suffragio neque quæ alia hujus condicionis extant vocabula, [10]) etiamsi jure commercii, conubii actionisque societatem quandam non juris ipsius sed ejus formarum quarundam accepissent. Quæ quum ita sint, civitas Romana a civitate cujusvis alius reipublicæ adeo differt, ut maximum gravissimumque discrimen sit inter civem et non civem neque quæratur utrum ii qui cives fuerint, suffragii jure caruerint an civitatis Romanæ jura omnia possederint. [11])

Jurisconsulti Romani, cum civem tam diligenter definirent, eam notionem ex iis rebus, quarum notior testatiorque erat memoria, quoad poterant, petebant, velut, ut unum exemplum afferam, ex præfectis juri dicundo quotannis in Campaniæ urbes inde ab anno 318 a Chr. missis, quarum incolas constat ante

7) Unde illud: civis Heracliensis, civis Gaditanus, civis e Latio etc.

8) cfr. Cic. pro Caec. 33, 97. Boëth ad Cic. Top. 5, p. 321. Or. Gaj. I, 1. Liv. 38, 44. quem ad locum cfr. Kienius: Römischer Bundesgenossenkrieg pag. 33, Madvig. opusc. academ. pag. 234 et quæ in notis adjecit exempla, Peter, Zeitschrift für Alterthumswiss. 1844, pag. 203. Voigt II, p. 38.

9) vid. Cic. pro Balbo § 28, § 29, § 31. Cic. pro Caec., § 100.

10) cfr. Voigt II, pag. 80 et sq. qui hauc rem fusius tractat, magis in universum ceteri: Puchta, Institutionen I, pag. 231, 238 (cfr. Kiene pag. 20 et sq.), II, pag. 294, 446, 447. Walter, römische Rechtsgeschichte I, § 84. Peter, Zeitschr. für Alterth. p. 196. Madvig. opusc. acad p. 279—283. Mommsen, römisches Münzwesen 1860 p. 309 et notam 57 et 58 et pag. 310.

11) cfr. Rubino, Zeitschr. für Alterthumsw. 1844 p. 962.

defectionem ad Hannibalem et cives Romanos appellatos fuisse neque ulla alia re cum populo Quiritium conjunctos nisi usu legum Romanarum, quas aliquot annos post deditionem iis petentibus impertitas esse scimus.

Verum hæc definita ac certa notio verbo civis ante id tempus, quo jurisconsulti eam definierant, inesse non potuit. Nam antiquissimum nomen Quiris usque ad sextum sæculum in legibus solum obtinuit[12]), quamquam nomen civis in lingua vulgari etiam prioribus temporibus in usu fuisse haud sane sit qui neget, nisi forte existimet, Oscum id vocabulum esse[13]) et ex ea lingua non ita multo ante V^{tum} vel VI^{tum} seculum in linguam Romanam esse acceptum. Sed ut hoc in medio relinquamus, antiquioribus temporibus neque publice illud usurpatum esse puto neque in vulgari sermone, si adhibita est, ita adhiberi potuisse, ut non solum Quirites sed etiam eos comprehenderet, qui suis legibus et suo jure privati in ditionem populi Romani redacti essent. Discrimen enim, quod factum est posterioribus temporibus inter cives cum suffragio et cives sine suffragio neque illis rebus, ut infra demonstrabimus, accomodatum erat, neque superiorum temporum hominibus omnino notum. Quod si ita fuit, nonne credibile est, illud „civitas sine suffragio“ ab auctoribus non ex usu eorum temporum, de quibus agitur, sumptum sed ex ipsorum ætatis usu in illa esse traductum?

De notione ac nomine civis omnino pluribus verbis disserere in animo erat. Verum ne nimium multa complectamur atque ab eo, quod propositum est, longius aberret oratio, hoc ipsum, de quo nunc maxime agitur, naturam illius generis hominum, quibus civium sine suffragio nomen inditum est, consideremus.

---

12) Vid. legem Publ. Philonis (editam anno 415 U. C.) Liv. 8, 12: „unam ut plebiscita omnes *Quirites* tenerent.“ Siletur de civibus sine de civibus sine suffragio. Nam illis temporibus nonnisi Quirites cives erant et iis, quibus nomen: cives sine suffragio vulgo inditur, nulla cum plebiscitis aliisque legibus omnino ratio erat, quia ut dediticii juris Romani expertes, reipublicæ tantummodo parebant. cfr. lex Hortensia (edita anno 467 U. C.) vid. Plin. H. N. XVI, 10, 37 et Lael. Fel. apud Gellium N. A. XV, 27. cfr. Voigt II, p. 29 Not. 14. Eam autem legem, in qua primum nomen civis occurrit, legem Papiriam esse video, quæ incerti quidem temporis est sed certe non ante annum 513 U. C. prodita.

13) Osca ejus verbi forma est „ceve“. vid. leg. mun. Bant. v. 19.

Caput III.

De origine et natura ejus conditionis quae vulgo civitas sine suffragio appellatur.

Primum quum argumenta quærenda sint, quibus illorum hominum condiciones valde incertas fuisse probetur, laudo Madvigium, qui quamquam vocabulum civitatis sine suffragio ad illa tempora admisit, tamen concedit: „hoc nomine quid significaretur, obscurasse jam Livii et Dionysii tempore opinionem ex inferioris ætatis rebus conceptam, quasi semper beneficii loco civitas data jurisque aliquam præstantiam complexa esset.“ [14]) Sed tantum abest, ut illud civitatis genus beneficii loco alicui donatum sit, ut ne nomen quidem ei juste tribuatur. Nam si pœnæ tantum ratio habebatur, non est, quod illorum hominum condicioni omnino civitatis nomen tribuamus, hactenusque recte judicat Zumptius[15]), qui eorum virorum doctorum opinionem vituperat „qui pœnæ tantum loco civitatem sine suffragio dari consuevisse censent.“ Nam, inquit „pœnæ si quid addebatur, id vel in agri ademptione vel in reipublicæ constitutione vel in aliis rebus situm erat: civitas quamvis jure suffragii et honorum carens, ex quo omnino imperium Romanum aliquo in loco esse cœpit, semper pro *praemio* datum est proximaque ad optimum civitatis Romanæ jus erat.“ Sed quum omnia oppida, quibus Livius civitatem sine suffragio impertitam esse narrat, eam semper post deditionem in populi Romani potestatem, et magnæ agrorum partis jacturam impetrasse dicantur, deditio autem ipsa fere post rebellionem profligatam fieret — non video, cur his hominibus statim post deditionem aliquid præmii loco datum esse putemus. Si quid dabatur, puto aliqua levamenta tristis eorum condicionis et aliqua facultas commercii, quod populis victis post deditionem interdici solebat. Unde igitur subitum illud præmium? Ac quid populi Italici ipsi de eo civitatis genere judicaverunt! [16]) Quot et quantæ rebelliones ejus civitatis largitionem secutæ sunt! Hæc omnia nos movent, ut omnibus locis, quibus alicui populo civitatem sine suffragio communicatam esse narratur, nihil nisi transitum ejus populi ex sua potestate in populi Romani ditionem intelligendum esse statuamus.

---

14) Madvig. opusc. p. 233.
15) cfr. Aug. Wilh. Zumptii Studia Rom. Berol. 1859 p. 366.
16) Liv. IX, 43 et IX, 45.

Verum hoc non solum illæ rationes me impellunt, ut credam, sed etiam multa alia satis gravia argumenta testimoniaque habemus, e quibus id verissimum esse intelligitur.

Illa enim erat ex antiquissimis temporibus tradita et ab omnibus jurisprudentibus comprobata ratio, ut, quoniam jus erat naturale eorum, qui vicissent, victos occidere vel sub hasta vendere et eorum rebus potiri, omnes, qui aut deditione aut devictione in Romanorum potestatem venissent, libertatem et omnia sua jura amitterent. Verum jam reges a summo jure abierant et victos non modo non interfecerant, sed ne in servitutem quidem abduxerant, utilitatis, credo, magis quam humanitatis ratione habita. [17])

Neque enim illi peregrinis vendi poterant, quamdiu cum finitimis populis pugnabatur, neque, si major numerus esset, privatis Romanis, quod, quamquam antiquissimis temporibus sæpius factum esse non nego, posterioribus temporibus crebro et continuo usu reipublicæ maxima incommoda peperisset. Neque vero eos in ipsorum oppidis relinquere commodum fuit, quod, nisi ea firmissimis validissimisque præsidiis coërcerentur, rebellio inde metuenda erat. Quæ quum ita se haberent et expugnatum quodque oppidum firmo præsidio tenere tum supra vires reipublicæ esset, illos ita Romam transferebant, ut vita libertateque concessa iis primo se in fidem et clientelam alicujus civis Romani se dare juberent, deinde autem quasdam privati juris partes, quibus se a privatorum injuriis defendere possent, impertirent. Ex illis Clientes, ex his plebem profectam esse maxime est verisimile. [18]) Horum autem plebejorum hominum jura paullatim ita creverunt, ut cum eorum causa cum re patriciorum in unius reipublicæ corpus in dies magis coalesceret, se vere Romanos esse putarent et ipsi putarentur. Attamen per longum temporis spatium in plebem omnis honorum aditus interdictus erat, eaque ut subjectorum multitudo, patriciis, parebat, qui quum impotentius

17) Humanitas et ab omnibus antiquis populis et a Romanis eo usque respiciebatur, ut victi non interficerentur. Si autem qui a Romanis interficiebantur, non crudilitate id fiebat, sed consilio, itemque, si mitius cum aliquo populo agebatur, non misericordia sed utilalitatis ratio praevalebat. cfr. Cic. de leg. agr. I, cp. 6. Nro. 19; leg. agr. II, cp. 32 et 33.

18) Clientelæ institutum sane antiquius et primis reipublicæ temporibus solum in usu fuit. Sed extremo regum tempore praeter Clientes magna fuit Romæ multitudo, quæ neque in Clientium neque in Quiritium numero habebatur et quibusdam privati juris partibus donata et a Servio Tullio jam in partem publici juris ascita erat. Hoc novum hominum genus ex Clientibus solis profectum esse non puto. Hoc nos movet, ut Clientium numero nimis crescente altera quam statuimus ratione cum victis actum esse existimemus. cfr. Schwegler, röm. Gesch. p. 620—624 (2te Abtheilung). Mommsen, röm. Forschungen (die römische Clientel) p. 338.

dominarentur, eam eo deduxerunt, ut non ante seditiones in urbe agitare desierit, quam et ipsa in partem magistratuum et totius reipublicæ venit. Ac quinto seculo U. C. eodem fere modo cum victis populis actum esse, quum plebs jam omnes juris Quiritium partes usurparet, haud negabit, qui superioris ætatis similem rationem diligenter consideraverit, quæ etiam illo tempore obtinuit, nisi quod victi traduci Romam non jam poterant, sed in suis sedibus relinquebantur, jam tum inopum ac proletariorum multitudine urbem onerante.[19]) Etiam tum victos neque occidebant neque sub hasta venumdabant, sed agris ademptis agroque publico Romano adjectis reliquum dominium iis ita permittebant, ut eo pro possessione incerta et precaria, qua, quando liberet reipublicæ, privari possent, non pro dominio ex jure Quiritium uterentur. Quoniam autem, quum sua civitate spoliati, in Romanam vero nondum asciti essent,[20]) eorum is erat status, ut nulla esset neque inter ipsos neque cum Romanis jure agendi ratio: res ipsa ferebat, ut singuli omnium legum omnisque juris actionis expertes nullo modo ab aliorum injuriis se suaque defendere possent. Ac quum republicâ eorum et civitate sublata ne domi quidem aliqua proprii juris species relicta esset isque rerum status vix esset tolerabilis, rei ipsius natura coacti sunt, ut Romano jure domi aut ultro uterentur aut veniam Romæ peterent.[21]) Deinde quod omnis communio, quae ipsis cum aliis peregrinis fuerat, interdicta erat,[22]) sæpius factum esse verisimile est, ut etiam cum civibus Romanis lingua formaque Romana depaciscerentur. Quæ res vel maxime causa fuit, cur senatus Romanus iis jus nexi mancipiique sua sponte communicaret. Sic haud longo temporis intervallo jam multa fuerunt, quibus ab aliis peregrinis differrent, eaque incerta eorum condicione fiebat, ut nonnunquam ipsis Romanis dubium esset, quinam esset eorum hominum status et quænam eorum cum republica ratio.[23])

Tum si qui partes quasdam juris Romani adepti erant, etiam ampliora concupiscebant omniaque jura a Romanis petebant, quibus sibi aditum ad civi-

19) Liv. VI, 4.

20) cfr. Liv. 23, 31.

21) cfr. Liv. 40, 42: „Cumanis eo anno petentibus permissum est, ut publice Latine loquerentur et praeconibus Latine vendendi jus esset.“

22) Liv. IX, 43.

23) cfr. Liv. 38, 28: „Campani ubi censerentur senatum consuluerunt. Decretum, uti Romæ censerentur.“ Liv. 38, 36: „Antea incertum fuerat, ubi censerentur“. Sed saepius illis ipsis dubium erat, quorum hominum essent, cujus rei testis est idem Livius 23, 31: „Maxime ut hoc ferretur, moverat, quod, quorum hominum essent, scire se ipsi negabant, vetere patria relicta, in eam, in quam redierant, nondum asciti“.

tatem patefieri posse putarent, velut conubium, [24]) quod ipsi plebi usque ad annum 445 a. Chr. defuisse constat. Omnibus autem his juribus acquisitis ita se cum populo Romano conjunctos ducebant, ut non esset, cur non se Romanos esse putarent et toga sumpta [25]) pro Romanis se gererent.

Hoc igitur modo, partim usurpatione, partim donatione, quamquam interdum etiam breviorem rationem adhibitam esse verisimile est, sensim ac paullatim eo progrediebantur, ut omnis privati juris indeque nominis Romanorum participes fierent et hactenus essent cives.

Ii igitur, qui deditione ad imperium Romanum venerant, quam non apte in civitatem sine suffragio ascripti a Livii appellentur, facile intelligitur. Nam neque cives appellari poterant, qui agrorum et omnis commercii jactura afflicti, sua libertate, suo jure, sua civitate privati, in nullam Romanæ reipublicæ partem asciti essent, neque illud „sine suffragio" ad eos apte convenit, quibus præter aliqua commercii inter ipsos constituti levamenta initio omnes juris Romani partes defuerint.

Illorum autem hominum, qui ad imperium Romanum adjungebantur, duo status distinguo, quorum alterum eum esse duco, qui obtinuit inde a transitu alicujus populi ex sua potestate in ditionem Romanam (quæ res a Livio donatio civitatis sine suffragio appellatur) usque ad id tempus, quo singulis juris Romani partibus acceptis nomen Romanorum impetraverunt, alterum autem eum esse video, qui viguit ab eo tempore, quo illi Romani et habebantur et nominabantur, donec in civitatem optimi juris ascirentur. Quos duo status contineri putamus duabis primis partibus definitionis Festi apud Paulum Diaconum s. v. municipium, quæ quomodo illis congruant, proxima parte primum videamus.

---

24) cfr. Liv. 38, 36: „Campani petierunt, ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret, et si qui prius duxissent, ut habere eas et ante eam diem nati justi sibi liberi heredesque essent. Utraque res impetrata."

25) Hoc fuit jus proprium civium Romanorum. cfr. Plin. epp. IV, 11: „Carent togæ jure, quibus aqua et igni interdictum est". — De togæ jure et de usu linguæ Latinæ apud populos in ditionem Romanorum redactos laudo Voigt. II, p. 32, Not. 17 et 18. — Ceterum quam facile alienigenæ in civitatem Romanam se insinuare potuerint, intelligi potest ex Liv. 39, 3, 41, 9 (lege Claudia de sociis), ex lege Licinia et Mucia de civibus regundis. Cic. pro Cluent. fragm. 10, p. 449. Ascon. in Cornel. p. 67. Cic. de officiis III, 11, 47. Cic. pro Balbo c. 21, 24. Brutus c. 16. cfr. Goettling, röm. Staatsverfassung, p. 449.

Pars II.

De municipio.

Caput I.

Definitio Festi apud Paulum Diaconum s. v. municipium explicatur et emendatur.

Definitio apud Paulum hæc est: „Municipium id genus hominum dicitur, qui, quum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus præterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo, sicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt. Alio modo, quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, Cerites, Anagnini. Tertio modo, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut municipia essent sua cujusque civitatis et coloniæ, ut Tiburtes, Prænestini, Pisani, Urbinates (Arpinates), Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses."

Niebuhrii eorumque, qui eum secuti sunt, sententia, qua primam illius definitionis partem ita explicant, ut cives civitatum fœderatarum ea contineantur, [26]) facile refutatur illo Madvigii, Festum, si isopolitas sive fœderatos notare voluisset, vetus Latinorum fœdus vel Hernicorum vel similia exempla [27])

---

26) Niebuhrius (röm. Gesch. vol. II, p. 62, Not. 107) prima Festi definitione apud Paul. Diac. contineri putat primum et antiquissimum municipum genus, quo eos comprehendit, qui ex libera civitate venissent Romam neque cives Romani essent, praeter jus suffragii ibi omnium juris Romani partium compotes: eamque condicionem respondere opinatur Græcorum isopolitiæ eique statui, qui alibi (Liv. V, 50) hospitium publicum nominetur (De hospitio publico cfr. Mommsen roem. Trib. p. 159. Mommsen, röm. Forschungen p. 321—354). Niebuhrium secutus est Walterus, qui primam definitionis partem hoc modo explicat: „die Anerkennung als Municipium setzte fest, dass der Bürger der anderen Stadt, welcher sich in Rom, oder der Römer, welcher sich in anderen Städten ansiedeln wollte, hier aller Vortheile des Bürgerrechts mit Ausnahme des Stimmrechts und des Zutritts zu den öffentlichen Aemtern theilhaftig werden sollte, ohne jedoch eigentlich Bürger zu sein und ohne das Bürgerrecht seiner Heimath zu verlieren." cfr. Walter, röm. Rechtsgesch. p. 85 ff.

27) Madvigius de jure et conditione coloniarum populi Romani in opusculis academicis pr. Hauniæ 1834, p. 236 et 237: „Nec me fallit, Niebuhrium in quibusdam populis eo trahere

positurum fuisse et non singulos aliquot populos, quos omnes Livius narrat magno illo bello Latinorum devictos civitatem sine suffragio accepisse.[28]) Verum contra Madvigium (qui prima definitionis parte cives sine suffragio intelligi statuit) vocabulum ipsum proprio sensu illis temporibus tribuentem adversarii[29]) recte monuerunt, Festi illa verba „neque cives Romani essent" non ita accipi posse, ut civem optimo jure, non civem in universum definirent. Has sententias diversas Kienius[30]) aliis locis, qui sunt de municipe, in comparationem vocatis[31]) ita inter se conciliare conatus est, ut cives solum an etiam peregrini municipes fuissent, veteribus ipsis dubium fuisse, totas vero urbes, quæ municipia nominarentur, civitatem Romanam habuisse statueret. Sed hæc ut largiamur, Kienius etiam maxime causam ejus controversiæ quærere debebat, quod si fecisset, aliquanto certius, credo, et definitius de municipio judicasset.

Ac si definitionis verba: „qui quum Romam venissent neque cives Romani essent" accurate explicemus, eorum nulla alia significatio excogitari potest, nisi ut peregrinos notent[32]) qui, quum Romam venissent, jura quædam ibi habuerint, id

civitatis sine suffragio mentionem, ut hoc nomine et interdum municipii antiquitus significata sit ἰσοπολιτεία quaedam mutuo instituta inter Romanos et civitates aequo foedere adjunctas. Sed nec auctoritatum ea sententia habet nec argumenta probabilia et erroribus valde implicata est. Utitur primum duobus Festi locis. Sed Festus s. v. municipium tantum abest, ut respublicas cum Romanis conjunctas, non parentes significet, ut neque vetus Latinorum foedus neque Hernicorum neque similia exempla ponat, sed singulos aliquot populos, quos prorsus constat subactos magno bello Latino civitatem sine suffragio accepisse (Tusculanos Latinos, Fundanos, Cumanos, vid. Liv. 8, 14)."

28) Quodsi quis fortuitum esse putat, nihil est, quod minus verisimile habeatur. cfr. Becker-Marquardt. vol. III, p. 8.

29) Kienius in libello, qui inscriptus est: „der römische Bundesgenossenkrieg." Leipzig 1845, p. 38, Not. I. Reinius in Paullii Encyclopaedia s. v. municip. Uterque commentatione, quæ acutissime scripta est a Rubinone in Annalibus Philologiæ (Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1844) commotus sententiam suam prope Niebuhrianam haud paullum immutavit: Kienius dissertatione in Zeitschr. für Alterthumsw. 1849 et Reinius in libello, qui inscribitur: „De Romanorum municipiis." Eisenach. 1847. Hic vero etiam postea nonnullas opiniones, quarum in eo libro patrocinium susceperat, iis quæ a Rubinone contra scripta sunt, refutata esse concedit (cfr. Jahrbücher für Philol. und Paedag. 1860). Rubinonis autem explicatio, quamquam in prima definitionis parte fortuito cum Niebuhrianorum sententia congruit, tamen de ipsa municipis notione et de reliquis definitionis partibus ab illa prorsus discrepat, vid. infra Not. 58.

30) Dico eam Kienii sententiam, quam exposuit in annalibus citatis, quæ ab altera in priori libro (Röm. Bundesgenossenkrieg) exposita nonnihil differt.

31) Varronis de ling. Lat. V, § 197: „Municipes, qui una munus fungi debent" et Ulp. fr. 1, § 1. D. ad municipalem, et Festi locum s. v. municeps.

32) Non *cives*, ut vult Madvigius et ii, qui eum secuti sunt: Zumptius: Ueber den Unterschied der Benennungen municipium etc. in Abhandlungen der königl. Akad. der Wiss. in Berlin, philos.-histor. Abtheilung S. 121. Peter, Zeitschr. für Alt. 1844. Marquardt.

vero non ex jure fœderis [33]) cum populo Romano icti, sed ex deditione in ejus populi potestatem. Munera enim, quum nihil aliud significent, quam præstationes, quas coactus, non ex voluntate sua quis susciperet [34]), omnia [35]) autem munera suscipere dediticii magis quam fœderati esset, non ego video, cur hic peregrini fœderati et non peregrini dediticii intelligantur. Eorum autem hominum, qui in potestatem Romanorum venerant, duplicem statum supra vidimus, quorum alter a deditione usque ad tempus, quo Romani haberi coepti sunt, alter inde usque ad transitum in civitatem optimi juris obtinuit. Illorum autem condicione eos fuisse, qui prima definitionis parte comprehenduntur, multa nos adducunt ut credamus. Ut enim illos paullatim, partim usurpatione, partim donatione, omnis privati juris compotes Romanosque factos esse supra exposuimus, sic etiam ii, quos Festus primo loco posuit „post aliquot annos“ [36]) cives Romani effecti sunt, et sicut illorum status is erat, ut nondum Romani appellari possent, sic etiam hoc primum municipii genus non jam in numerum civium ascriptum esse, verba illa definitionis: „neque cives Romani essent“ clare demonstrant. Alteri autem statui, quem posuimus, qui ab eo tempore, quo coepti sunt Romani appellari, usque ad eorum introitum in perfectam civitatem obtinuit, mire congruit eorum condicio, quos Festus secunda definitionis parte amplectitur. Sicuti enim illi omnibus juribus, quibus civitatis notio continetur, acceptis Romani appellabantur neque quidquam restabat, quo in peregrinorum numero haberi possent, sic etiam eorum, quos Festus secunda definitionis parte comprehendit, „civitas universa in civitatem Romanam venit.“ Illud autem „universa“ [37]) non contrarium est singulis

vol. III, inde a p. 7. Mommsen, röm. Tribus p. 157—166, quamquam in eo libro, qui inscriptus est: röm. Münzwesen, et in notissimo historiæ Rom. libro magis a partibus Niebuhrii stare videtur. cfr. etiam Aug. Wilh. Zumpt. studia Rom. p. 366.

33) Ut vult Niebuhrius et qui ab eo sunt.

34) cfr. Mommsen, röm. Forschungen. Berlin 1864, p. 345 (cfr. p. 19 hujus libelli).

35) Festus s. v. municipium: „omnium munerum participes.“

36) Haec verba in omnibus explicationibus, quæ adhuc tentatæ sunt, nullum locum invenire potuerunt: nempe verbo: „aliquot“ fere duo secula intelliguntur.

37) Hoc „universa“ Niebuhrius se non intelligere ipse fatetur. Nam primum genus putat ab eo, quod Festus secundo loco posuerit, obscure distingui; notam enim, quæ secundi generis propria sit (illud: „universa“ definitionis), communem esse etiam tertiæ definitionis parti, quam non magis esse perspicuam. Sed definitionis ipsius vitia exemplis adjunctis corrigi. Secundi enim generis appellari Caerites et Anagninos, quorum illi omnium municipum, qui honorum expertes fuerint, specimen exhibeantur, quamquam eos in numero isopolitarum se inventurum putasset. Vides municipii cum isopolitia confusio quantam ejus expositioni caliginem offundat, quamvis saepius prope ad veritatem accedat (ut vol. II, p. 76, Not. 136).

partibus incolarum[38]) (non enim sermo est de urbibus, sed de genere quodam hominum) sed singulis juris Romani partibus acceptis accipiendisve. In simpliciorem superiorum temporum sermonem translata, remoto verbo civitatis, definitio his fere verbis: „qui jam prorsus Romani facti erant" vel similibus exprimi poterat; verba autem definitionis ita accipere, ut homines, republica ac civitate sublata, omni oppidanarum rerum administratione privatos significent, id definitio ipsa minime patitur.[39])

Accedamus nunc ad tertiam definitionis partem, cujus textus, qui dicitur, depravatus est. Verba enim hæc sunt: „qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut municipia essent *sua* cujusque civitatis et coloniae." Nunc vulgo legitur: „ut municipes essent *suae* cujusque civitatis et coloniae." Omnes fere viri docti hac parte definitionis eas urbes significari putant, quae post legem Juliam in civitatem Romanam acceptae sunt. Velut Niebuhrius oppida, quae in tertia parte definitionis pro exemplis sunt, partim esse dicit colonias Latinas, partim urbes Italicas, quae lege Julia alia et posteriore significatione municipia factae sint. [40])

In Festi loco et reconcinnando et interpretando danda est opera, ut locum Ulpiani (fr. 1, § 1, D. ad municipalem) adjutorem et testem adhibeamus, cujus verba haec sunt: „et proprie quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in civitatem, ut munia nobiscum facerent, sed nunc abusive municipes dicimus suae cujusque civitatis cives, ut puto Campanos, Puteolanos." Ut

38) Haec est sententia Kienii, quem in libro citato p. 36 hoc modo video scripisse: „Hier (in dem zweiten Theil der Definition) ist nur der charakteristische Unterschied zur ersteren hervorgehoben; im ersten Fall waren es Einzelne, welche nach Rom gingen und dort munera faciebant; hier ist es der ganze Staat, welcher dazu gezwungen ist." Obliviscitur Kienius in definitione non de urbibus, sed de genere hominum agi

39) Madvig. p. 237: „alteris prorsus sui magistratus adempti essent". Eadem est opinio Napoleonis III in libro, quem de vita Julii Caesaris scripsit p. 64. Neque magis eorum sententiam probo, qui illud: „venit" peculiari quodam sensu interpretantur, cfr. Peter, Zeitschr. für Alt. Nro. 36, p. 208: „Festus unterscheidet also die zweite Art des Municipiums dadurch, dass bei ihr ein völliger Uebergang der Stadt, gleichsam ein Aufgehen derselben in Rom stattfinde". Mommsen, röm. Trib. S. 159: „Wie für die erste Klasse Capua, ist für diese Cäre das Muster, welche Stadt auch Festus zu denen zählt, deren ganze staatliche Existenz in der römischen aufgegangen ist". Item Rubino, Zeitschr. für Alt. 1844, p. 872. — Hos omnes fugit, illud „venire" omnibus partibus definitionibus ita commune esse (qui quum venissent — venit — ita venerunt), ut hic peculiari illo sensu usurpari non verisimile sit. cfr. p. 19, cap. II.

40) cfr. Madvig. „His eos", inquit „Festus adjungit, qui numquam civitatem sine suffragio habuissent." — Item Kienius, Reinius, Peterus alii. Rubino contra, cujus sententia omnino a ceterorum sententiis magnopere discrepat, cives Romanos intelligit, qui civitatum peregrinarum municipes fuissent. vid. infra Not. 53.

omittamus Kienii interpretationem, qua inter verba „facerent“ et „ut“ parenthesis quae dicitur fiat, ita ut verba „ut puto Campanos etc.“ proxima ponantur verbis: „ut munia nobiscum facerent“, [41]) cujus ego quidem nullam video causam: Ulpianus duo genera municipum distinxit, quorum alteri, recepti in civitatem, ut munia cum Romanis facerent, municipes *proprie* appellarentur, alteri autem, qui illo tempore soli supererant, municipes *abusive* dicerentur. Eos autem, quos Ulpianus municipes proprie dictos appellat, prima alteraque parte definitionis apud Paulum eosque, qui municipes abusive dicebantur, tertia ejus definitionis parte comprehendi, quis non intelligit, quum utriusque definitionis non solum notarum, sed etiam verborum ipsorum tantam similitudinem viderit? Nam municipes proprie dictos ad municipia primae et alterius partis definitionis apud Paulum referendos esse, ita perspicuum est, ut ea res nulla probatione egere videatur. Quos quum Ulpianus receptos in civitatem appellat, ne cives quidem eos esse dicit, sed muneris participes in numerum eorum, qui civitati Romanae parebant, acceptos, atque unâ definitione complectitur et eos, qui ad imperium Romanorum adjuncti nondum omnes privati juris partes acceperant, et eos, qui jam Romani facti erant: qui utrique munerum erant participes. Quos autem municipes abusive dictos Ulpianus appellavit, hi erant incolae (utor hoc verbo sensu generali, non peculiari) alicujus urbis sive Italicae sive provincialis, quae aliquo tempore civitatem Romanam et nomen municipii acceperat, et recte appellantur „suae cujusque civitatis cives.“ Quos cur Ulpianus judicaverit municipes dictos esse *abusive*, videamus. Non solum locus Ulpiani, sed etiam ille Varronis, [42]) clare indicat, eos, qui antea municipes appellati essent, propterea in societatem reipublicae esse acceptos, ut *munia facerent*, id est subirent quae aut corporibus aut sumptibus praestanda essent. Quod si municipum proprium est, sane illi, qui Julia lege civitatem Romanam acceperant, municipes *proprie* non jam dici potuerunt. Sunt igitur municipes *abusive dicti*. Sed cur omnino illi appellati sint *municipes*, si quaerimus, nihil est, quod expedire tam facile possimus. Nam urbes Italicae prioribus temporibus primo in potestatem populi Romani redactae, deinde in numerum municipiorum secundi generis acceptae, postremo optimo jure civitatis donatae, non desierant, oppidanarum rerum causa quadam civitatis sive reipublicae forma uti. Hoc modo inter cives optimi juris ea differentia orta

41) Kiene, Zeitschr. für Alt. 1844, Nro. 29.

42) „Municipes qui una munus fungi *debent*.“

est, ut alteri, qui Romae sedem ac domicilium habebant, unam patriam, alteri duas quasi patrias, alteram juris, alteram loci haberent. Atque quum illi nonnisi Romanis magistratibus uterentur nullisque aliis legibus obstringerentur nisi Romanis, hi propter oppidanarum rerum communitatem in proprium quoddam hominum corpus redacti in domesticis rebus oppidanis magistratibus[43]) legibusque parebant. Hoc novum civium genus nomen a vetere instituto mutuatum est. Nonnullae enim earum urbium, quarum nomina Festus, ut definitionem suam exemplis illustraret, ejus primae et alteri parti addiderat, quamvis jam sexto seculo U. C. ineunte civitatem optimi juris accepissent, nomen municipiorum nihilominus retinuerant. Quo factum est, ut, quum lege Julia multae urbes Italicae eodem illo jure donatae essent, quo accepto nullo modo a municipiis priorum temporum in civitatem cum suffragio ascitis differebant: eorum appellatio etiam in illas transferretur. Quoniam autem multitudo earum urbium, quas lege Julia populus Romanus civitate receperat (recepta est fere universa Italia), numerum veterum illorum municipiorum longe superabat, non mirum est, quod Festus tertii generis municipiorum non alias urbes exempla posuit, nisi quae ipsa illa lege eum statum obtinuerant.

Nunc quum ratio quaerenda sit, qua locus Festi corruptus loco Ulpiani adjutore adhibito reconcinnetur, libenter quidem emendatione *Mazochii*[44]) utor, qui mutavit *sua* in *suae*, itemque altera, quae minus necessaria est, munici*pes*[45]) pro munici*pia*, sed verbum *civis* addendum censeo, quod post verbum civitatis intercidisse suspicor et in definitione Ulpiani, quae est etiam primae emendationis fons, non deest, ita ut definitio Festi iisdem fere verbis atque Ulpiani desinat:

„ut municipes essent suae cujusque civitatis cives et coloniae"

cfr. Ulp.

„sed nunc abusive municipes dicimus suae cujusque civitatis cives."

Sensus autem est hic: ut municipes essent, quum essent suae cujusque civitatis cives et coloniae. Quum enim cives suae reipublicae manerent, Romani facti sunt nomenque municipum acceperunt alia sane et abusiva verbi significatione.

---

43) Quatuorviris sive Duumviris, nisi a praetore provinciae aut ab imperatore praefecti substituebantur.

44) vid. Mazochii comm. in regii Herculanensis musei aëneas tabulas Heracleenses. Neapoli 1754, p. 469.

45) Muellerus (in edit. Festi) Niebuhrius et Madvigius has emendationes approbaverunt et acceperunt. Quod autem Kienius proposuit, ut mutaretur *sua* in *soci* (pro socii) mihi non placet, quia id verbum sensu quodam singulari et prorsus alieno a proprio usu accipiendum esset. cfr. Kiene, röm. Bundesgenossenkrieg S. 39.

Caput II.

De notione municipis et municipii.

Priusquam ad rem ipsam accedamus, prius de verbo municipii et municipis videamus.

Niebuhrius derivat nomen a nudo verbo: munus, id est præstatio angariis aut sumptibus, terminationem autem „ceps" syllabam finalem esse putat inanem et nihil prorsus significantem velut illud „ceps" in verbo: „princeps" pro: „primus"; *municipem* igitur statuit ita differre ab *immuni* ut *vesticipem* ab *investi*, verbum autem: municipium initio jus municipum significasse, sed postea in eorum, qui in eo jure sunt, universitatem esse translatum. Cui etymologiæ contraria altera est, qua terminatio „ceps" ducitur sive a verbo „capessere", quam veterum ipsorum originationem fuisse ex Gellio [46]) intelligitur, sive a verbo: „capere" quam *Rudorffius* esse posuit in Judice scholarum, quæ in Academia Berolinensi per menses hibernos 1848, 1849 haberentur. Si Niebuhrii etymologiam sequimur, ex verbo ipso nihil ad notionem colligi potest, nisi ut, cum munera præstationes significent, [47]) municeps homo sit, qui eas præstet, si vero alteram, verbo: capere nihil aliud intelligere possumus, quam suscipere, ut sæpe etiam dicitur „magistratum capere" sive „consulatum capere" pro: magistratum suscipere. Municeps igitur est homo, qui præstationes suscipit sive subit. Cum his quomodo definitiones congruant, demonstremus.

Definitionem Festi apud Paulum accuratius intuenti dubium esse non potest, quin Festus definitionem illam ita instituerit, ut *non in universum proprietatem municipis*, qua et a civibus optimi juris et a peregrinis (fœderatis) differat, sed *differentiam, quae sit inter singula municipiorum genera* demonstraret. Ita enim primam et secundam partem definitionis disjunxit, ut, quum municipes primi generis nondum fuisse Romanos diceret („neque cives Romani essent"), alterius municipes eos definiret, qui omnibus partibus, quibus civis notio expletur, acceptis in civitatem rite essent ascripti („quorum civitas universa in civitatem Romanam venit"). Cujus utriusque generis quum proprium esset, ut *per ipsum municipii*

46) N. A. XVI, 13.

47) cfr. Niebuhr. vol. II, p. 62. Mommsen, röm. Forschungen. Berlin 1864, p. 345: „munus ist bekanntlich die pflichtmässige Leistung (vgl. municeps = leistungspflichtig, immunis leistungsfrei. communis mitleistend, moenia die Frohnden und daher die Mauern) und insofern verschieden von donum der freien Gabe (von dare, vgl. dos).

jus ad civitatem, primo diminuti, deinde optimi juris, perveniret, tertii proprium erat, ut *per civitatem nomen municipii* adipisceretur [48]) sed nomen tantum. Tertium enim genus municipiorum ortum est, cum post legem Juliam universa in civitatem Romanam accepta esset Italia, quo ex tempore duo illa genera priora desierunt, ut patet ex Festo s. v. municeps: „Municeps *est,* ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus est. Item, qui in municipio a servitute se liberavit. Item *municipes erant,* qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat, magistratum capere, sed tantum muneris partem. At Servilius ajebat, initio fuisse, qui ea condicione cives Romani fuissent, ut semper rempublicam separatam a populo Romano haberent, ut fuerunt Cumani, Acerrani, Atellani, qui et cives Romani erant et in legione merebant, sed dignitates non capiebant."

Cujus definitionis prima et secunda parte nihil prohibet, quominus eos contineri putemus, quos Festus apud Paulum s. v. municipium tertia parte definitionis comprehendit et tempore Aelii Galli solos superfuisse perspicuum est („municeps *est*"), ab his autem tertia parte eos distingui, qui prima et secunda parte definitionis apud Paulum nominantur, qui, ut sequitur ex verbo „erant", illo tempore non extabant. Qui quum ii definiantur, „qui ex aliis civitatibus Romam venissent", „quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem", magistratus autem hic et munera ita ponantur, quasi munera illa jura et honores fuerint, et non præstationes, quæ subjectis populis imponebantur, dubitare possumus, utrum hac definitione fœderati an dediticii describantur? Sed hanc definitionem non accurate scriptam esse, patet primum, quod ii, qui e civitatibus fœderatis Romam venerant, ob id ipsum, quod Romam venerant, munera propria non subibant, deinde quod in verbo ipso: „munus" semper præstationis, non honoris notio inest [49]), tum quod ex Varrone et Ulpiano municipes omnes ad munera præstanda *coactos fuisse* existimemus, postremo quod verba Servilii, quæ in annotatione definitioni adjecta sunt, in eam ipsam non apte quadrant,

48) Logicum igitur divisionis fundamentum est (sit venia verbis) non chronologicum, ut vult Reinius, qui primam definitionis partem transfert ad municipia ante bellum Latinorum profligatum (anno 338 a Chr.) constituta, alteram ad municipia, quæ inde usque ad legem Juliam, tertiam ad ea, quæ ab illa lege edita usque ad interitum imperii Romani duraverint.

49) Ex Gellio contrarium concludi non potest, quia singula municipiorum genera ita confundit, ut ne inter antiquissimos quidem et suæ aetatis municipes differentiam esse videat. cfr. Gell. Noct. Att. XVI, 13 „municipes sunt cives Romani e municipiis legibus suis et suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo adpellati videntur nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Romani lege adstricti, nisi, inquam, populus eorum fundus factus esset".

nisi ea ita contraria sint, ut his verbis *ii, qui civitate donati domi quadam reipublicae forma utebantur*, illa autem definitione municipes, qui *neque cives essent neque propriam civitatem haberent*, significentur. Jam supra commemoravimus, illis temporibus inter viros doctos dubium fuisse, utrum cives Romani solum an peregrini quoque municipes appellati essent, fuisse qui nonnisi peregrinos municipum officia habuisse contenderent, fuisse autem etiam qui nonnullis quibusdam annalium locis commoti cives quoque municipum nomen tulisse statuerent. Nimirum utrique recte. Quum enim Aelius Gallus iis annalium uteretur locis, quibus illi nondum Romani nominabantur, Servilius exempla eorum secutus esse videtur, quibus nomen civium jam inditum erat, eaque quæ posuit exempla non dubia sunt, siquidem ex iis temporibus petita sunt, quibus illæ urbes præfecturæ factæ jam magnam juris Romani partem obtinuerant. Quum igitur hoc Servilii egregie cum secundo genere municipiorum apud Paulum congruat, ego nihil certius esse puto, quam etiam Aelii Galli tertiam definitionem, recte explicatam, ad primam Pauli esse referendam. Sed quamquam neque ex illo loco apud Paulum neque ex eo, quem nunc exposuimus, ipsa *proprietas* municipis satis apparet, tamen veram municipis naturam facile cognoscemus, si hos locos cum iis quæ de civibus sine suffragio diximus et reliquis locis, qui de municipibus extant, comparaverimus. Nam et ex Ulpiani verbis: „*recepti* in civitatem, *ut munia* nobiscum *facerent*", et ex loco illo Varronis, „municipes, qui una munus fungi *debent*," patet proprietatem, qua municeps a peregrino et cive optimi juris differat, in eo versari, ut in societatem quandam juris cum ceteris Romanis ad id receptus sit, ut præstationes subiret, cogatur igitur eas præstare, non iisdem quibus illi fruantur juribus donatus. Quam proprietatem immutatam videmus in tertia parte definitionis apud Paulum, qua cives optimi juris nomine solum, non proprietate municipes definiuntur. [50]) Cum tres igitur notæ sint, quæ proprietatem municipis constituunt, ut ex illorum locorum comparatione cernitur, prima: ut in corpus reipublicæ Romanae receptus sit, secunda: ut ad eum finem receptus sit, ut praestationes sive munera subiret, tertia: ut non omnibus civitatis perfectae juribus fruatur: municipem nobis liceat definire hominem qui, quum se in Quiritium ditionem dederit, eorum numero non ascriptus est, sed iis non modo in universum parere, sed etiam omnia, quae illi imperabant, ut militiam et tributum [51]) praestare cogitur.

50) Quare ab Ulpiano municipes abusive dicti appellantur. — 51) Certum annuum stipendium, quod *aes* appellabatur, quamobrem pars eorum etiam *aerarii* nominabatur.

Nunc breviter exponamus, posteaquam de municipe vidimus, quid *municipium* ipsum fuisse statuamus. *Sigonius* et qui eum secuti sunt, Heineccius, Spanhemius, Mazochius alii municipium *oppidum* jure civium Romanorum donatum definiebant. Hanc opinionem primus reliquit *Niebuhrius*, qui initio municipium jus municipum significasse statuit. Eumque multi secuti sunt. Sed *Rubino* neque oppidum jure civium Romanorum donatum neque jus municipum, sed genus quoddam hominum notari vult. [52])

Nobis quoque persuasum est, municipio neque totam aliquam urbem neque ipsum municipum jus, sed quod in ipso definitionis illius verbo est, *genus quoddam hominum*, significari. Hoc Rubinoni libenter damus. Etiam illud concedimus, si incolæ nonnullarum civitatum sine ulla exceptione in definitionibus pro exemplis sunt, non esse, quod eorum omnes intelligi existimemus. Nam præter municipes alia genera hominum in civitate aliqua esse potuerunt et fuerunt. Sed hoc Rubinoni largiri non possumus, cum omnia alia vocabula apud Romanos, tum verbum: municipium semper suam propriam vim ac notionem retinuisse. In hac enim constantia vocabulorum Rubino totum suum posuit fundamentum, cui nova quædam et inaudita superstruxit, quæ inventa acutius et dicta subtilius sunt, quam ut quivis ea possit comprobare. [53])

Itaque Reinius et Kienius ejus constantiæ vocabulorum argumenta ab illo suo jure petunt et recte statuunt, cum multa alia vocabula variis temporibus vario sensu a Romanis accepta esse, tum verbum: „municipium" diversa significatione esse usurpatum. Nam sicut municipis duas significationes supra vidimus, unam propriam, alteram abusivam, ita etiam verbum: municipium post legem Juliam alia et abusiva significatione usurpatum est. Propria igitur vis municipii est

---

52) Rubino, Zeitschr. für Alt. 1844, p. 871 et 988.

53) Rubinonem ab omnium virorum doctorum sententiis perquam discrepare constat. Quum enim ceteri uno ore congruerent, municipes nomen suum promiscue ex eo cepisse, quod ipsis in alia civitate habitantibus municipii ratio cum Romana republica intercessisset, Rubino id etiam (in Zeitschr. für Alt. 1844, Nro. 109 et sq.) e contrario factum esse omnium virorum doctorum solus existimat itaque in universum duo genera municipum distinguit: *Primum cives urbium Italicarum*, qui suum jus suamque propriam civitatem retinentes Romæ munia cepissent. *Deinde cives Romanos*, qui in urbe Italica idem jus tenuissent, quod illi Romæ, idque aut in ea, cujus omnes incolæ civitate Romana donati suam ipsorum civitatem amisissent (altera pars definitionis), aut in ea, quæ sui juris esse non desiisset (III. pars def.). Haec sententia, quam Rubino etiam uberius exposuit defenditque (in Zeitschr. für Alt. 1847, p. 801) primum a Reinio dissertatione supra citata, cui Rubino respondit in Zeitschr. für Alt. 1847, deinde a Kienio in iisdem annalibus 1849 vehementer impugnata est.

notio generis hominum, quod ea lege in civitatem Romanam susceptum sive ad imperium Romanum adjunctum est, ut praestationes subiret. Non aliter igitur differt municipium a municipe, quam ut verbo municeps singuli homines, verbo: municipium genus eorum hominum ipsum significetur.

Post legem autem Juliam municipium id genus hominum dicitur, quod in aliqua urbe civitate Romana donatum erat. Id genus civitate Romana donatum solum in ea urbe nomen: municipium habebat, et si quae alia genera hominum accedebant, ea ab illo vel prorsus regebantur vel in parvam tantum reipublicae partem asciscebantur. [54])

Eo demum tempore, quo omnes imperii Romani incolae imperatoris Caracallae constitutione cives Romani adoptati sunt, cum nullum jam esset discrimen inter municipes et incolas, municipium ex notione cujusdam generis hominum in significationem urbis sive oppidi transiit, eaque significatio non solum in lingua Latina usque ad interitum imperii Romani, sed etiam in recentioribus linguis usque ad nostram aetatem mansit. Sed transeo ad exempla.

54) cfr. Aug. W. Zumpt: Studia Rom. p. 289, 290. — Quodsi dicitur „*municipium Malacitanum et Salpensanum*", id pertinet ad cives Romanos, qui in illis oppidis habitabant, quamquam in iis oppidis numerus Latinorum superabat.

Pars III.

Quæ de civitate sine suffragio et municipio explicata sunt, exemplis confirmantur.

Caput I.

De Tusculo.

Constat omnium oppidorum Latinorum primum Tusculum in civitatem Romanam ascriptum esse, cujus rei auctores sunt Livius, Dionysius Halicarnass., Dio Cassius, qui, quum ejus civitatis genus adnotare neglexissent, de eo magnam inter viros doctos sententiarum dissensionem moverunt. Quod quale fuerit, primum videamus. Nam quum non ignoremus, primum Tusculanos post rebellionem oppressam se in Romanorum fidem dedidisse, deinde rebellasse eos anno 341, quo magni illius belli Latinorum libertatis recuperandæ causa participes essent,[55]) tum illo bello exstincto, „civitatem", quam antea habuerant, servatam esse[56]): certe dediticiorum magis quam civium optimi juris is status erat, civitatis autem illa donatio tantum abest, ut civitatis optimi juris largitio fuerit, ut ne civitatis sine suffragio quidem communicatio, sed perfecta deditio in potestatem Romanam fuisse videatur. Deditione enim facta „pacem in præsentia nec ita multo post civitatem etiam impetraverunt";[57]) pace illa effectum est, ut bellum tolleretur deditioque acciperetur, civitate autem, ut Tusculani suo jure privati ad eas juris Romani partes admitterentur, quibus cujusdam commercii cum Romanis facultas daretur, quamquam nondum ad omnia privata civium jura pervenerant. Nondum igitur illo tempore Romani facti sunt, sed municipes primi generis, cum ita in Romanorum potestatem redigerentur, ut eorum respublica iis milites et tributa aliaque publica munera, quæ vellet, imperaret. Quando autem in alterum municipum genus ascripti sint Romanique facti, incertum est, quia singularum privati juris partium sive donatio sive usurpatio ita sensim ac paullatim perfecta est, ut etiam antiquiori scriptori tempus definire perquum difficile esset. Si Paulo credimus

55) Ex iisdem fere rationibus Bormannus (Chorographie von Latium p. 233), Peterus p. 204, Madvigius p. 233, civitatem sine suffragio conjecerunt.
56) Liv. VIII, 14.
57) Liv. VI, 26.

post aliquot annos cives facti sunt. Civitatis vero optimi juris eos neque tum neque ipso deditionis anno, ut nonnulli volunt, sed postea aliquanto compotes esse factos, patetex Val. Max. IX, 10, 1, qui posteaquam eadem quæ Liv. VIII, 37 narravit, narrationem suam his verbis absolvit: „quam ob causam Papiria tribus, *in qua plurimum postea Tusculani in civitatem recepti potuerunt,* neminem unquam candidatum Poliæ tribus fecit magistratum.“ Quo autem tempore civitatem optimi juris obtinuerint etiamsi definiri nequeat, tamen certum est, eos ante annum 206 a. Chr. in eam condicionem pervenisse, quo Cato, qui fuit Tusculanus, Romæ gessit magistratum. [58]) Quod vero ad societatem sive foedus, quo cum Romanis conjuncti fuisse dicuntur, eos ante annum 379 a. Chr. timore Aequorum perterritos auxilium a Romanis postulasse, nemo est qui neget, sed num ad id ipsum illud Ciceronis Pro Planc. 8: „Tu ex municipio antiquissimo Tusculano etc.“ transferre et ex his collatis inter se et comparatis foederis cujusdam Tusculanorum cum Romanis icti, quod per longum temporis spatium tenuerit, conjecturam facere liceat, ego haud pro certo posuerim.

At ii, qui Tusculum anno 379 a. Chr. civitate optimi juris donatum esse statuunt, testimonia quædam proferunt nititurque imprimis *Rubino* his Dionysii locis: Primum Dionys. Excerpt. XIV, cap. 9: πολιτείαν ἔγνωσαν τοῖς κρατηθεῖσι πάντων μεταδόντες ὧν τοῖς Ῥωμαίοις μετῆν, deinde cap. 11: τῶν κεκρατηκότων ἄγαθὰ προσλαβόντες ἀπῆεσαν.

Ut omittam quæ jam supra diximus de vulgari opinione inde a Dionysio tradita, „antiquissimos Romanos facillimos fuisse in novis civibus optimo jure recipiendis“, [59]) his locis, quorum auctoritatem Rubino ipse eo debilitat, quod eos nullius ponderis esse concedit, nescio cur non Valerii Maximi testimonium anteponam, cui, quum rebus ipsis tantopere congruat, summa fides habenda esse videtur. Cum igitur omnis argumentatio ex illis Dionysii locis solis sumi nequeat, Rubino frustra iis usus est, et in universum disputetur, num verisimile sit, Tusculanos post rebellionem deditionemque protinus in civitatem optimi juris esse receptos. Hanc autem illo quidem tempore neque Tusculanis neque aliis obtigisse putamus, ejusque rei magnam argumentorum copiam Madvigius suppeditavit, qui „non solum per se mirum esse, victos hostes et agrorum jactura afflictos in societatem administrandæ reipublicæ ab iis victoribus, a quibus alii sub corona venumdarentur, ascitos esse, verum veterum civitatum

58) cfr. Bormann. Chorographie von Latium p. 177.
59) v. Madvig. op. p. 220.

naturæ plane repugnare" luculentur demonstravit. Quod vero Rubino ipse attulit, duris illis temporibus, quæ diem Alliensem et Romæ incendium secuta sint, civitatem optimi juris non tanti pretii fuisse, quin a Romanis libenter daretur, si dubia alicujus socii fides eo posset confirmari — id haud probabiliter argumentatur. Fac enim Tusculanos civitatem optimi juris accepisse, quum illi fidem suam ea donatione male confirmatam esse, ea ipsa quæ secuta est rebellione Romanis satis ostenderent — argumentum illud eventu ipso refutatur. Ut enim omittamus, haud credibile esse, Romanos populis victis in deditionemque acceptis nihil egisse, nisi ut illos sibi beneficiis obstringerent, etiam, si eorum consilium erat, fidem illorum populorum sibi conservare, nihil absurdius excogitari potest, quam et Tusculanos civitate illa donare et iis adimere, quo omnes peregrini populi omnium maxime ad rebellionem stimulabantur. Hoc autem fuit ager, quem illo tempore Tusculanis ademptum esse constat. Contra ego nihil certius esse puto, quam victos tali pœna affectos non ita liberaliter habitos esse, ut iis, quum vellent, Romanorum jugi excutiendi agrique recuperandi optima facultas daretur, sed in eam condicionem esse redactos, ut eos observare et coërcere quam maxime promptum esset. Hanc autem condicionem non aliam fuisse patet, nisi quæ supra a me exposita est et civitas sine suffragio vulgo nominatur. [60])

Caput II.

De ceteris oppidis Latinorum.

Populi Latini, qui Sp. Cassio et Postumio Cominio coss. anno 493 a. Chr. foedus cum populo Romano inierant, quum sæpius ab eo foedere defecissent, tum anno 341 a. Chr., ubi iis petentibus, ut alter e Latio consul fieret, Romani non concesserunt, re cum Campanis consociata [61]) magnum adversus Romanos bellum concitaverunt. Quorum exercitus ita a Romanis apud Capuam fusus est, ut „dederent se omnes Latini deditionemque eam Campani sequerentur." Quam deditionem quæ secuta sint, narrat Livius VIII, 11:

„Latium Capuaque agro multati, Latinus ager, Privernati addito agro, et Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanæ

60) Hoc jam inde sequitur, quod civitas quæ dicitur ab omnibus finitimis populis poena magis quam donum habebatur, cujus rei Livius ipse testis est. cfr. Liv. IX, 45 et IX, 43.
61) cfr. Liv. VIII, 2; VIII, 3; VIII, 5; VIII, 10.

dividitur. Extra pœnam fuere Latinorum Laurentes Campanorumque equites, quia non desciverant. Cum Laurentibus renovari foedus jussum.... Equitibus Campanis civitas data, monumentoque ut esset, aëneam tabulam in æde Castoris Romæ fixerunt, vectigal quoque eis Campanus populus jussus pendere in singulos quotannis (fuere autem mille et sexcenti) denarios nummos quadringenos quinquagenos."

Romanos igitur, etsi certa de universa Latinorum Campanorumque condicione statuere in aliud tempus distulerant, tamen ita in eos consulere in animo habuisse, ut eos in suam potestatem clientelamque prorsus redigerent, et ex hoc loco universo et ex decreto de Campanis patet, cujus vim ac naturam intelligere nullo modo possum, nisi illos arbitrio potestatique Romanorum plane permissos deditosque putem. Nam si (quod haud difficile est probatu) equitibus Campanis civitatem optimo jure datam esse concesseris, quum equites societatem civitatis Campanæ neque ultro reliquissent neque relinquere a Romanis coacti essent, duarum autem civitatum civis nemo esse posset, fieri concedes, vix potuisse, quin reliquo populo jus suum integrum permitteretur. Sed ira agri amissi tantum valuit, ut Latini, quum rebellassent iterumque fusi essent,[62]) pertinacius resisterent et in oppida sua se recipere et, si cujus oppidi obsidio nunciata esset, undique auxilium obsessis ferre consilium caperent. Nam, teste Livio VIII, 13: „Latio is erat status rerum, ut neque bellum neque pacem pati possent, ad bellum opes deerant, pacem ob agri adempti dolorem aspernabantur." Sed posteaquam etiam Volsci, qui cum Aricinis, Lanuvinis, Veliternis societatem inierant, apud Asturam flumen a Romanis victi sunt et paullo post Pedum captum est, cujus oppugnatio jam per totum annum trahebatur,[63]) brevi singulæ urbes Latinorum aut expugnatæ aut in deditionem acceptæ sunt.[64])

Ac quamquam hæc semper propria et ab ipsa natura profecta condicio eorum erat, qui imperio alius populi subjecti erant, ut inferiore jure viverent et non protinus in eadem jura et in eandem reipublicæ administrandæ societatem ascirentur, tamen virorum doctissimorum magnam controversiam ortam esse video, de natura civitatis illis Latinis communicatæ dissentientium. Quorum *Rubino* (p. 881 et 882) et *Mommsenius* (römisches Münzwesen p. 333), Latinos omnes in

62) Liv. VIII, 12: „Latinos, ob iram agri amissi rebellantes, in campis Fenectanis fuderunt."
63) Liv. VIII, 12: „Aemilius ad Pedum exercitum duxit. Pedanos tuebatur Tibur, Praenestinus Veliternusque populus, venerant et ab Lanuvio Antioque auxilia."
64) „Nec quievere", inquit Livius, „antequam expugnando aut in deditionem accipiendo singulas urbes, Latium omne subegere."

optimum jus ascitos, *Madvigius* autem (p. 238), *Peterus* (p. 202), *Marquardtius* (III, p. 8) civitate quam vocant sine suffragio donatos esse contendunt. [65]) Sed eorum, qui Latinos optimum jus accepisse ponunt, rationes non satis firmas ad adversariorum argumenta convellenda esse puto. Nam primum locus Liv. VI, 4, quem affert Rubino contra Peterum, qui novis tribubus plerumque cives inopes ascriptos fuisse statuit, non multum valet, quum universo Latio in duas tantum tribus redacto quatuor illas tribus, quæ in capite insequenti (Liv. VI, 5) commemorantur [66]) ex solis illis transfugis effectas esse incredibile sit et novi illi cives (cap. 5) non ad eos referendi sint, qui tum demum extrinsecus ascripti sunt, sed ex eorum numero fuisse videantur, quibus ad jura publica exercenda nihil nisi agri et tribus deerant. [67]) Quod cum per se verisimile sit, tum patet ex capite IV ejusdem libri, quo et de urbis hominum frequentia, de magno ædificandi studio et de legibus agrariis agitur, quibus agri publici fere non peregrinis, sed Romanorum civium multitudini assignabantur. — Deinde ne Dionis Cassii quidem testimonium [68]) facit, ut Latinos optimo jure in civitatem receptos esse credam. Nam quum nihil esset, cur Romani εὔνοιαν (benevolentiam) erga eos haberent, quorum perpetuæ rebelliones rempublicam tantopere agitarent, Dio Cassius non abhorret ab erroribus vulgaribus, quorum Livius et Dionysius auctores sunt. — Illud autem argumentum, Latinos a Romanis propterea in optimum jus civitatis receptos esse, ut fides beneficio obligaretur, jam supra refutatum est. Ut igitur prætermittam, illam largitionem nullius momenti fuisse, nisi redderetur ager, cujus jactura omnium maxime victos populos ad rebellionem excitabat, rebellionis periculum non ejusmodi clementiæ intempestivæ exemplo, sed magis vitabatur „parte civium plebejorum publice in illorum oppida missa iisque agro, qui ab illis captus erat, viritim diviso, ita ut ibi perpetuum præsidium constitueretur.“ (Madv.) — Tum rationem, qua illo tempore cum Latinis actum sit, ipsius plebis exemplum demonstrat, quæ simili modo orta non in societatem imperii statim recepta est, sed primo, ut dediticia multitudo hominum, nullo omnino jure, postea diu jure inferiori vivebat, donec tribus illis secessionibus

65) Ab eorum parte est etiam Voigt. II, p. 332, Not. 361, cujus argumenta contra donationem civitatis optimi juris laudo.

66) Scil. Stellatinam, Fromentinam, Sabatinam, Arniensem.

67) De tribb. Maccia et Scaptia, quæ anno 332 institutæ sunt (cfr. Val. Max. VIII, 1, 7; Liv. VIII, 17) laudo Voigt. II, p. 181, Not. 146.

68) frgm. Vat. 31: ὅτι ἀνθυπαγόμενοι τοὺς Λατίνους εἰς εὔνοιαν οἱ Ῥωμαῖοι τὴν πολιτείαν αὐτοῖς ἔδωκαν, ὥστε καὶ τῶν ὁμοίων σφίσι μεταλαμβάνειν.

multisque seditionibus factis in partem magistratuum et totius reipublicæ veniret. Ut autem illo tempore, sic etiam tum (anno 338) utilitas reipublicæ omnibus aliis rationibus prævaluit. Latinis enim interfectis eorumque oppidis deletis et agris vastatis sane omne futuræ rebellionis periculum vitabatur, sed quia eorundem sociorum auxilio Samnites victos esse recens memoria erat, illis occisis non quasi suas ipsorum opes attenuare, sed eos ad futura cum Samnitibus bella reservare e republica esse videbatur.

Sunt autem nullæ aliæ nisi ejusmodi rationes, quæ ex Camilli oratione de Latinis populis in senatu tum habita elucent. Non enim tum quæstio erat, Latini utrum optimi an inferioris juris cives Romani fierent, sed utrum oppidis deletis ipsi vel occiderentur vel sub hasta venumdarentur, an ad populi Romani imperium adjuncti vitam libertatemque retinerent. Sed irâ et ulciscendi cupiditate utilitatem reipublicæ superiorem fuisse, ex his perorationis verbis sequitur: „Vestrum est, decernere, quid optimum vobis reique publicæ sit.“ Neque vero Romani propterea pœnæ rationem negligebant. Nam decretum est in senatu, ut *non de universo Latio*, sed quum aliorum causa alia esset, ut de *singulis nominatim populis* et pro merito cujusque statueretur. Ex hoc senatus decreto neque civitatem optimi juris neque civitatem sine suffragio, ut vulgo accipitur, illis datam esse patet, sed cum illis populis ita actum, ut in vetere eorum republica dissolvenda et novo statu rerum constituendo componendoque in singulos *varia ratio* adhiberetur. Quod mire congruit cum nostra de municipii primi generis sententia. Quæ autem illa varia ratio fuisset, Livius ipse non accurate docuit, quum nonnisi majorum urbium mentionem fecerit, velut urbis Lanuvinorum, qui sua propria civitate amissa municipes facti sunt. [69]) Quod vero speciem quandam sui juris retinuit eorum respublica, id in eo vertitur, quod omnibus aliis rebus ademptis sola sacra iis reddita sunt, sed cum eo, ut ædes lucusque Sospitæ Junonis communis Lanuvinis cum populo Romano esset. Eodem jure quo Lanuvini etiam Aricini Nomentani Pedani in potestatem clientelamque Romanorum recepti sunt. Facti enim sunt municipes. Quæ vero jura jam ab initio commercii causa iis attributa fuerint, Livius non ostendit vocabulo illo civitatis sine suffragio contentus. Tusculani in eodem statu remanserunt, quem ante bellum tenuerant. „In Veliternos *gravius* sævitum est,“ ex quo efficitur, in universum in populis illis in Romanam potestatem redigendis pœnæ rationem non esse neglectam. — Quod autem „ceteris Latinis populis

69) Liv. VIII, 14: „Lanuvinis civitas data sacraque sua reddita cum eo, ut aedes lucusque Sospitæ Junonis communis *Lanuvinis municipibus* cum populo Romano esset.“ cfr. Schol. Cruq. ad Hor. Epp. 1, 6, 62: „Cærites *civitate donati* sunt *municipesque facti*.“

conubia commerciaque inter se ademerunt" inde non sequitur, nihil præterea de his populis consultum esse; sed Livius quum rebus majorum Latinorum oppidorum nominatim expositis de ceteris nihil singulatim traderet, in universum tantum illorum condicionem attigit et commercio inter illos populos sublato, fœdus quoque, quo antea sociati erant, prorsus sublatum esse docuit; patet antem fieri non potuisse, ut in civitatem optimi juris ii ascriberentur, qui, vel si omnes Latini cives Romani facti sunt, ne commercium quidem cum magna parte aliorum civium habuissent. Qui si ne his privatis quidem juribus ceteris Romanis pares erant, quanto minus in publicis! Locum autem ita explicare: „ut inter Latinos et non Latinos conubium non fuerit" [70]), hoc et a re ipsa et a lingua Latina abhorrere videtur. [71])

In singula vero oppida, etsi varie agebatur, ex multis suspicor, haud clementer esse consultum. Nam primum puto ea, nisi muri dejicerentur, præsidiis munita esse, deinde senatum et magistratus inde abductos sive severæ custodiæ traditos, tum senatus consultum proditum, quo civitas ipsa tolleretur singulique incolæ municipes fierent, agrum publicum agro Romano adjectum et magnam partem plebi divisum reliquumque agrum privatum ad tempus accupatum dein ex parte municipibus redditum cum eo, ut tributa penderent et milites ad Romanas legiones conscriptos mitterent, ipsos juribus quibusdam donatos, quibus se suaque ab aliis jure possent defendere.

Verum hic quæret quispiam, cur, quum Livio auctore Aricini eodem jure quo Lanuvini in civitatem accepti sint, apud Paulum Diaconum Aricini jam inter secundi generis municipes numerentur. Sed ejus rei nullam ego video difficultatem. Nam quum omnes, qui primi generis municipes fuissent, non ita multo post in secundum genus reciperentur, Festus non habebat, cur non in exemplis secundi generis ponendis ad ea tempora decurreret, quibus illi jam ad eam condicionem pervenissent, eo tantum discrimine observato, ut non plures earum urbium numeraret, quæ bello Latino subactæ erant et quarum magnam partem jam in secundo genere recensuerat. Nimirum quoniam illis exceptis eligere omnes potuit, quas aliquando in civitatem Romanam venisse constabat, eas mihi sumsisse optime videtur, quæ diversis temporibus [72]) civitatem ac-

70) Madvig. in opp. acad. p. 235 Not.

71) Hic locus alio loco Liviano optimam habet interpretationem, dico Liv. 45, 29: „neque conubium neque commercium agrorum aedificiorumque inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse." cfr. Rudorff, „Ueber das Ackergesetz des Sp. Thorius" in Zeitschrift für gesch. Rechtswiss. X, p. 135.

72) Caerites post annum 353, Aricini aut post annum 341 (Vellej I, 14), aut post 338 (Liv. VIII, 14), Anagnini post 306. Caerites anno 379 a Chr. cives aut cum suffragio aut

cepissent et populorum essent natione diversissimorum,[73]) illas ut omnem confusionem vitaret, has ut nationum diversitate nullam generis differentiam effici demonstraret.

Caput III.

De Campanis.

Jam supra demonstravimus, decreti illius de equitibus Campanis naturam intelligi non posse, nisi populum ipsum Campanorum arbitrio Romanorum plane deditum existimemus. Atque bello illo peracto, ut cum Latinis, sic etiam cum Campanis actum est; nam sicut illi in inferioris juris condicionem accepti suam civitatem amiserunt, ita etiam Campanorum civitas dissoluta est et ex suo jure in potestatem Romanorum traducta (Liv. VIII, 14). De tempore autem, quo id factum sit, Livius (VIII, 14) et Vellejus (1, 14) ita differunt, ut ille anno 338, hic anno 334 a. Chr. Campanos civitatem sine suffragio accepisse scribat, cujus differentiæ causam fontium, quibus auctores nostri ipsi uterentur, discrepantiam et incertam rerum ipsarum condicionem fuisse supra vidimus. Quod autem Campani viginti annis post propter discordiam intestinam leges et præfectos a Romanis petierunt, id quodque nostram sententiam maximopere confirmat. Nam suis legibus privati et in Romanam ditionem redacti illius civitatis incolæ, quo jure agerent, in summo dubio fuerint necesse est, et quum ii, qui optimo civitatis jure donati erant, jure Romano uterentur, alii autem iis subjecti[74]) eo jure agere

sine suffragio factos esse, neque Gellii (XVI, 13) neque Strabonis (V, 2, p. 376 Tauchn.) auctoritas neque confusa Schol. Cruq. (ad Hor. Epp. 1, 6, 62) narratio facit ut credam. Sed ne hospitium quidem (quod vult Livius V, 20) illo tempore cum Caeritibus publice factum esse existimo. Nam non quia sacra Româ Caere translata sunt, his hospitium quasi fidei praemium datum est, sed quia jam ejusmodi sacrorum communio inter Romanos et Cerites ex antiquissimis temporibus obtinebat, sacra ibi recepta sunt (cfr. Schwegler, röm. Gesch. III, p. 281 et I, 684). Quum autem Caeritum merita beneficio aliquo Romanorum compensanda essent, haec res et Livium movit, ut illis hospitium publicum donatum, et Gellium et Scholiastam, ut iis tum civitatem a Romanis datam esse voluerint. Sed non solum ex Livio et ex eodem Scholiastæ loco, sed etiam ex Dion. Cass. (frgm. 33, Bekk.) patet, eos posteriore tempore bellum adversus Romanos concitasse superatosque agro multatos esse: illo, credo, tempore, ut fere fit post agrorum jacturam, civitatem suam amiserunt municipesque facti sunt: sed non ita multo post in secundum municipum genus eos receptos praefectosque juri dicundi Româ missos esse testis est Festus s. v. municipium et s. v. praefectura.

73) Scil. Caerites Etruscorum, Aricinos Latinorum, Anagninos Hernicorum.

74) cfr. Liv. VIII, 11.

neque vellent [75]) neque possent, [76]) ea re non mediocriter laborabant. [77]) Quare quum huic discordiæ et afflictæ omnium condicioni subvenire nullo alio remedio possent, legatos Romam miserunt, qui leges et magistratus Romanos inde peterent. Itaque factum est, ut, IV viris juri dicundo in Campaniam missis, [78]) omni privato jure donati in secundum quod descripsimus municipum genus ascirentur. Quoniam autem municipes erant, in legionibus stipendia merebant, non, ut fœderati, in cohortibus, cujus rei testes sunt Polybius II, 24. Oros. 7, 13. Val. Max. II, 7, 15 [79]).

Ab hac sententia maxime Rubino discrepat, quum statuit, non propter civitatem, sed ex fœdere Campanorum cum Romanis publice icto illos municipes appellatos esse, civitatem autem sine suffragio iis datam nihil prohibere, quominus suum proprium jus suamque potestatem retinuerint, nititurque in his duobis argumentis:

Primum enim contendit, Campanos post civitatem sine suffragio acceptam semper socios Romanorum appellatos esse, cujus rei testes affert Livium (IX, 6 et 7, et XXIII, 5 et 10), Diodorum Siculum (XIX, 76), Dionysium Halic. (XV, 4).

Sed apud veteres scriptores nomen civium sine suffragio cum sociorum appellatione sæpius permutari, recte monuerunt Peterus et Madvigius. [80]) Nam omissis Campanis [81]) Antiates quoque socii appellantur, [82]) eodem modo quo Livius Campanos post bellum Punicum secundum liberos dicit [83]) et Sabinos quoque æquo fœdere sociatos refert, [84]) quos Dionysius vocat ὑπηκόους, [85]) appellationis inconstantia in eo genere hominum sæpe obvia.

---

75) cfr. Liv. IX, 43 et IX, 45: „tentationem ajebant (feciales Aequorum) esse, ut terrore incusso belli Romanos se fieri paterentur, quod, quantopere optandum foret, Hernicos docuisse, quum quibus licuerit, suas leges Romanæ civitati praeoptaverint: quibus legendi, quid mallent, copia non fuerit, pro poena necessariam civitatem fore."

76) cfr. Voigt II, p. 82, Nota 17 et 18.

77) cfr. Liv. IX, 20: „Antiatibus quoque, qui se sine legibus certis, sine magistratibus agere querebantur, dati ab senatu ad jura statuenda ipsius coloniæ patroni", et cfr. Madvig. p. 334, Not. 1.

78) Quos praefectos nominari posse jure negat Zumptius: Commentationes epigraphicæ Berolini 1851, p. 52: „nec in præfectorum numero recte recensentur IIII viri illi, qui populi suffragiis facti in Campaniam mitti solebant.... nam solum Festus s. v. praefectura appellat praefectos, nimirum ideo, quod Campanis civitatibus impositi erant; Romæ nominabantur, ut par erat, IIII viri (Dion. Cass. I, IV, 26)."

79) cfr. Mommsen, Römische Tribus p. 158. Madvig. op. p. 241, Not.

80) Madvig. opusc. p. 238, 241, 242.

81) cfr. Liv. IX, 6; XXIII, 5 et 10.

82) cfr. Liv. VIII, 14 et IX, 20.

83) Peter. Zeitschrift für Alterth. 1844, p. 206.

84) cfr. Liv. IX, 45.

85) Excerpt. p. 2331, R.

Deinde in eo nititur, ut partem Campanorum Romanos non fuisse probari posse confirmet, non vero sine aliqua difficultate, cum Liv. VIII, 14 nonnihil repugnet. Sed ut hoc largiamur, ex eo certe, quod Campanorum partem cives Romanos non fuisse probatur, non sequitur, illos etiam publico fœdere cum Romanis sociatos et ob id municipes esse nominatos, sed illud ipsum, quod efficere ex hujus libelli consilio est, civitate quam dicunt sine suffragio data non re vera *civitatem effectam esse,* quam effectam fere putant, sed *statum quodammodo medium,* quem Rubino apud Campanos ipse concedit, quum dicit, Campanos ipsos a Festo propterea non in exemplis proponi „quoniam incolæ Capuæ in singularem quendam statum medium venissent, priusquam cives Romani universi effecti essent ideoque extrema definitionis verba [86]) in illos non apte convenirent." Neque vero illa verba etiam ex Rubinonis ipsius expositione in alias urbes apte conveniunt, et status ille medius non minus apud Cumanorum reliquorumque Campanorum civitates quam in civibus urbis Capuæ invenitur.

Itaque verisimile est, Campanos non minus quam Latinos bello illo peracto in dediticiorum statum venisse. De reliquis autem Campanorum rebus, præcipue de illa condicione, quæ defectionem ad Hannibalem secuta est, hic disserere longum est, cum iis exemplis, quæ attulimus, nostram sententiam jam satis superque confirmatam esse putemus.

---

86) „Qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt."